

**VII. De his qui faciunt zuppas foresteriis et de pena contrafacentium.**

Omnes et singuli zupparij et sartores et omnes alie persone, qui et que facient zuppas foresteriis, qui uadunt infra predicta loca uel ad dictas insulas, soluant doane pro qualibet zuppa gross. vnum et dimidium. Et non debeant deliberare illas, nisi prius denuncient doaneriis et soluant doanam. Et quicunque contrafecerit, soluat qualibet uice comiti pro banno yppum vnum.

**VIII. De his qui portant drapariam uel cambium uel alias res.**

Statuimus, quod quicunque Raguseus uel Ragusea portare uoluerit seu per alium mittere infra predicta loca uel ad predictas insulas drapariam, cambium, setam uel aliquas res, que non sunt specificate in istis ordinamentis exceptis<sup>170)</sup> denariis grossis de venecis et de brescoua, soluat doane ad rationem nouem follar. pro qualibet yppo.

**IX. De his qui vendunt drapariam vel alias res foresteriis.**

Item ordinamus, quod quicunque Raguseus uel Ragusea uendiderit uel donauerit seu alio quocumque modo dederit alicui foresterio, qui foresterius uel portare uel per alios mittere infra predicta loca uel ad insulas superscriptas drappariam, setam, cambium uel aliquas res, que non sint specificate in istis ordinamentis exceptis denariis gross. de venecia et de brescoua, soluat doane antequam deliberet illas ad rationem vnius foll. pro qualibet gross.

**X. De his qui uolunt extrahere pelles conciatas.**

Ragusei omnes et Ragusee uolentes extrahere uel per alios mittere de Ragusio pelle conciatas, persoluant doane pro qualibet pelle de irco et de montone medium grossum; et pro qualibet corio de mancino et de boue et de uacca soluant doane grossum vnum. Et si Raguseus uel Ragusea uendiderit uel alio modo dederit pelle conciatas alicui foresterio, soluat Raguseus uel Ragusea doane antequam deliberet illas, id quod predictum est; saluo quod sit in providencia doaneriorum accipiendi minus de dictis pellibus, ut eis uidebitur conuenire.

**XI. De Raguseis et foresteriis portantibus sclauum uel sclauam Ragusium et de pena contrafacentium.**

Quicunque Raguseus uel foresterius portauerit Ragusium sclauum uel sclauam, soluat doane pro qualibet sclauo uel sclaua, quem uel quam vendiderit, gross. quatuor.<sup>171)</sup>

<sup>170)</sup> Eine Randnote mit späterer Schrift bemerkt: „florenis ducentis de auro, ficibus (?) et sale“.

<sup>171)</sup> Einschaltungszeichen und unten am Blatte beigefügt: Additum est quod si quis sclauus portauerit sclauum uel sclauam Ragusium ille sclauus tam si uendiderit illum Ragusio quam si uendiderit foresterio nichil soluat doane; tamen raguseus qui emerit seruum uel ancillam a sclauo soluat duane gross. quatuor pro qualibet seruo uel ancilla ut supradictum est et illud idem soluat foresterius, siemerit seruum uel ancillam a sclauo exceptis venetis.